


05 A 485

05

A

485





38

DISPUTATIO THEOLOGICA,
in Cap. III. v. 1-17. Epist. Pauli ad Coloss.

Quam,

Concedente venerando Collegio Theologico,
VVittenbergæ

proponunt

P R Æ S E S

M. JACOBUS Wächter /

&

RESPONDENS

MATTHÆUS Metzger /

Alumni Electorales.



WITTEBERGÆ,

Excudebat Johann. Hake,

M. DC. LXV.





SLIPREMI SYNEDRII ECCLE-
SIASTICI,

quod Dresdæ est,

PER-ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO
DOMINO



PRÆSIDI,

itemq;

Cæteris CONSILIARIIS

05 A 485

SPLENDIDISSIMIS,
VIRIS

REVERENDISSIMIS NO-
BILISSIMIS, MAGNIFICIS, ac CON-
SULTISSIMIS,

*Dominis suis Gratosissimis, Patronis
ac Promotoribus Optimis, Ma-
ximis,*

pagellas has debitæ Observantiæ ac gratitudi-
nis ergo sacras esse voluit,
debut

Matthæus Meßger/Philosophiæ
Candidatus.



JOVA JIVA !

§. 1.

Tertium præsentis hujus epistolæ caput: ut juxta Pauli præceptum 2. *Tim.* 2. 15. secemus rectè, aperienda primum Spiritus S. mens ac intentio est, utpote, cujus impulsu & scripsit Apostolus, 1. *Cor.* 14, 37. & fuit locutus 2. *Petr.* 1. 21.

§. 2. Textus itaque nostri argumentum *formaliter* est *Ἐπιβουλεύων*, *materialiter* *ἠθικὸν*, h. e. hortari Spiritus S. vult Colossenses ad serium & constans pietatis Christianæ studium. Huc n. tendit totius capitis *scopus*, commatumque omnium *Contextus*, ubi de fuga vitiorum, ac de virtutum studiò præcipuè agitur, & *generalis* primæ partis *epilogus* ultimò docet, quomodo actiones nostræ omnes ritè ac piè sint instituendæ v. 17.

§. 3. Hæc in Epistolis omnibus fermè consveta Spirituū S. *Methodus* est, ut primis capitibus *doceat*, ultimis *hortetur*, 1. *Tim.* 4. 11. c. 6. v. 2. quomodo in ipso præsentis Epistolæ *Exordio* Colossensium *σοφίαν καὶ ἀγάπην* commendat, c. 1. 4. ac pro incremento orat, v. 9 10 11. & in *tractatione* deinceps duo de *σοφίᾳ*, duo de *ἀγάπῃ* capita proponit. Bonorum n. operum studium *adiaphoricum* non est: Si omnem fidem habeam, *charitatem* verò non, nihil sum 1. *Cor.* 13. 2. *Conditi sumus in Christo ad bona opera* *Eph* 2. 10. *Nec est arbor bona, quæ facit fructum malum* *Luc.* 6. 43. *Mortua fides, si facta non habuerit, fac.* 2. 17. & 26.

§. 4. Argumentum verò suum pertractat Spiritus S. in prima parte capitis hoc modo: primum à v. 1. usque ad 4. *generale* urget *suasorium* s. argumentum, Deinde *dehortatorium* subjicit, quo ad *fugienda* v. 5. 11. denique *admonitorium* annectit, quo ad *facienda* v. 12 17. h. e. 1. *argumentatur*. 2. *dehortatur*. 3. *adhortatur*. Sed hic omnino *generaliter*; ad *singularcs* hominum classes n. *secundâ* capitis parte descendit, alloquens v. 18. *uxores* v. 19. *maritos* v. 20. *liberos*, v. 21. *parentes* v. 22. *servos* v. 23. *Dominos* & c.

§. 5. Versiculo primo secundoq; sic *hypotheticè* argmen-
A
tatur

tatur: si resurrexistis unà cum Christo, vestrum etiam est, superna querere, ubi Christus est, ad dextram Dei sedens. h.c. superna curare, non terrestria. Categoriè ita: qui resurrexerunt unà cum Christo, ij etiam superna debent querere &c. atqui vos Colossenses E. Connexio Majoris, fundatur in ipsa statuum oppositione. Nam resurrexistis cum Christo, nec tamen τὰ ἄνω sectari in Christo Jesu; sed adhære adhuc τοῖς ἁγίοις τῆς γῆς: i. em ἡμεῖς τὰ ἄνω, nec tamen φρονοῦν τὰ ἄνω, d. τὰ ἁγίων τῆς γῆς, hæc, inquam sibi repugnant. Perinde enim est, ac exuisse veterem hominem, nec tamen exuisse v. 9. Vivificati si estis in Christo, in peccatis adhuc quasi mortui agetis? Eph. 2. 4. Omne, quod est in mundo, non est ex Patre, d. ex mundo, i. Joh. 2. 15. 16. Christus verò dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut eam sanctificaret, ab eo purificatam, lavacro aquæ per verbum, ut sisteret eam sibi gloriosam Eph. 6. 26. 27. Ideoq; debitores sumus non carni &c. Rom. 8. 12.

§. 6. Minor prob. ex spirituali Colossensium statu & παλιγγενεσίᾳ, per baptismum in mortem, nomenq; Christi non ita pridem factâ: quo respicit p. illativa particula ἔν ἐν ἑνὸν ἡμεῖς &c. de eadem enim conversione in antecedentibus agit: Consepulti simul estis cum Christo, in quo simul unà cum illo resurrexistis &c. c. 2. v. 12, 13. ideoque ob factæ regenerationis veritatem h. l. particula εἶ non significat ἐνδυσασμὸν sive dubitationem: d. Βαίωσιν seu asseverationem; non est dubitantis, sed asseverantis; qualis particulae hujus significatio non infrequens est, Glass Phil. sacr. p. 840. p. demonstrativa partic. γὰρ, quando in subsequentibus dicitur. ἀπεθανε γὰρ ἡμεῖς ἡμεῖς ἡμεῖς, jamq; vita vestra in Deo cum Christo est abscondita v. 3. quâ de re dubitandum, quòd non sit, probat Apostolus porrò ex ipsorum spe, desideratoq; fidei fine, qui est salus animarum 1. Petr. 1. quandocunq; enim Christus manifestatus fuerit, vita nostra tunc & vos cum illo manifestabimini in gloria, Coloss. 3. 4. ex quibus conclusio sponte fluit. quia resurrexistis ex mundo in Cælum, ex terrenis ad superna, ex spirituali morte ad fidei vitam in Christo, ex peccatorum cæno, ad gloriæ futuræ spem: uno verbo, quia per baptismum exuto veteri homine & abjurato Diabolo nomen dedistis Jesu Christo, Deo ac Salvatori vestro, in spem salutis

^{spiritus ac gloria, utrumque est velintere illas, & eorum opera &}
bunc reddere, ut sectari, querere ac curare. Qui enim mortui su-
mus peccato, quomodo posthac vivemus in eodem? Rom. 6. v. 2. quae con-
cordia Christi cum Belial? 2. Cor. 6. 15.

§. 7. Hæc itaque phrasis: *Resurgere cum Christo*, juxta
Rhetoricam Spiritus S. est idem hoc l. quod *spiritualiter rege-*
rari, sive *ad fidem in Christum verbô baptismoq; converti*. quos enim
in *antecedentibus* Apostolus dicit, *fuisse quondam ab alienatos*,
nunc verò per Evangelium & baptismum *reconciliatos* h. e. con-
convertos, c. 1. v. 21. eos in c. 2. v. 13. inquit, *fuisse mortuos per deli-*
cta, & per praputium carnis ipsorum; sed consepultos simul cum Chri-
sto per baptismum, & excitatos ac vivificatos &c. pariliter, quos
cap. 3. v. 1. *resurrexisset cum Christo dicit*; eos in subsequentibus v. 7.
9. 10. ait *in peccatis quondam, ut irrogenitos, ambulasse; sed nunc ex-*
uisse veterem hominem, & induisse novum, hoc est convertos esse.
Eadem allegoria reperitur in locis paralellis & similibus; *sepulti su-*
mus una cum Christo per baptismum in mortem, ut quemadmodum
excitatus est Christus: ita & nos in novitate vitæ ambulemus Rom. 6.
v. 3. *Cum essemus mortui per delicta, convivificavit nos Deus unâ*
cum Christo, & simul cum eo sedere fecit inter cælestes in Christo Je-
su Eph 2. v. 1. usque ad 7. Baptismus quoque, in quo sepeliri, resur-
gereq; cum Christo dicimur, ipsius *regenerationis & renovationis*
lavacrum est Tit. 3. v. 5 nostræque *conversionis* medium 1. Job. 3. v. 5.

§. 8. Dicitur autem *Conversio* hæc in Script. S. *resurrectio*
cum Christo, partim *effectivè* vel *causaliter*, quia resurrectio Chri-
sti est illius *meritoria causa & principium*. *Laudandus est Deus &*
Pater Domini nostri Jesu Christi, qui juxta copiosam suam misericor-
diam, regenuit nos in spem vivam ὁ θεὸς πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμετέρου Ἰησοῦ
Χριστοῦ ὁ θεὸς ὁ πατὴρ ὁ ἰσχυρὸς ὁ ἀκατάληκτος ὁ ἀειγενὴς ὁ ἀειπα-
τήρ ὁ ἀειβιών 1. Pet. 1, 3. partim *comparativè* aut *exemplariter*, quia re-
surrectio Christi est illius *typus & exemplum*. *Sicuti Christus de-*
bebat mori, & intrare in gloriam suam, Luc. 24, 26. ita nisi quis re-
natus fuerit ex aqua & spiritu, non introibit in regnum cælorum.
Joh. 3. 5. 1. Cor. 15, 49. partim *consecutivè & fiducialiter* quia futura
nostra, cum apparuerit Christus, *victoriosa resurrectio conversi-*
onis nostræ scopus est & præmium, Beatus & sanctus, qui habet

partem in resurrectione prima: in ijs secunda mors non habet potestatem Apoc. 20, 6 Joh. 17, 24. c. 6. 39. Rom. 8, v. 10, 11.

§. 9. Cæterum *τὰ ἄνω*, adjectivè ponitur: vel per ellipsis participij ὄντα; vel per communem Regulam: adverbium adjectivi significationem non rarò induit. Glassius l. cit. p. 41. Rectè proinde vertitur, *superna*: per quæ moraliter cum B. Luthero, intelligimus hominem Novum; vel in abstracto ea, quæ ad naturam & affectiones ejus pertinent. Tom. 3. Jen. Germ. p. 451. quam quoque sententiam Quistorpius præbat Comm. in h. l. ac Lutherani Doctores communiter. Nec dissentit, quin potius eandem explicat B. D. Gerhardus, qui per *superna* intelligit *spiritualia*; quemadmodum per *τὰ ἐπι τῆς γῆς*, carnalia Exeg. L. 4. de persona & Offic. Christi §. 221 nec non L. de S. Cœna §. 113.

§. 10. Confirmat autem interpretationem hanc I. capitis contextus. In omnibus enim totius capitis commatibus de moribus agitur, tum Christianorum, tum paganorum. II. argumenti scopus. Id agit Apostolus, ut in novâ vita, in Christo, in Deo, in fide ac pietate Christiana Colossenses ad æternam gloriam instarentur, fulciantur, roborentur, stabiliantur 1. Petr. 5, 10. III. prædicati sensus. *Ἔπι τῆς οὐρανῶν* quod, si de locali foret investigatione capiendum, quis summa cœli conscendere templa, quærereque ibidem *τὰ ἄνω* posset? IV. synonymorum consensus. Apostolus enim *Ἔπι τῆς οὐρανῶν* *προσεύχεται*, *νεκρώσατε*, *καὶ ἀπόθεσθαι*, *ἐκδύσασθαι*, *καὶ ἀπεκδύσασθαι* &c. *συνώνυμος* usurpat. 5. Colossensium status: quorum vita cum Christo abscondita in Deo est, ij certè sic vivunt, ut quærant *superna*, h. e. ut curent cœlestia, divina, spiritualia usq; dū in gloria cum Christo manifestentur v. 3. & 4. VI. *Ἐπιήσεως* illius modus. Mortificate igitur membra vestra terrestria, stuprum, immunditiam, vitiaq; omnia. Sitis autem induti, tanquam electi Dei, sancti ac dilecti, viscera miserationum, cæterasque virtutes. v. 5. VII. Novi hominis actus. quia induistis novum hominem, qui renovatur ad agnitionem & imaginem ejus, qui condidit illum v. 10 Ergò jam voluntas vestra & cor vestrum cum voluntate Dei respondeat, necessum est. Localiter verò *superna* quærere possunt & ij, in quibus imago Dei est restituta nondum, irrege-

irregeneriti. VIII. generalis partis epilogus. quicquid EGERITIS
sermone aut facto, omnia IN NOMINE Domini Jesu, gratias a-
gentes Deo & PATRI per illum v. 17.

§. 11. Confirmat id IX. Usitatus in Script. loquendi usus.
Præcipit Salvator: *Querite regnum Dei & justitiam ejus* Matth. 6.
Hoc regnum est *αἰω*; quia non est de hoc mundo Joh. 18. nec tamen
quærendum localiter; nam, dicentē Christo, *Regnum Dei est intra
vos* Luc. 17. Sic quoque *querimus* Christum, non terrestrē quippi-
am, sed *supernum*; non localiter, sed *intra nos*. Annon cognosci-
tis vosmetipsos, quod *Christus Jesus in vobis sit*? 2. Cor. 13. quam ad-
rem etiam nobis opus non est, cogitationibus evolare supra fir-
mamentum, sed tūm nos explorare, num simus in fide: *per fidem
enim habitat Christus in cordibus nostris*, Eph. 3. sic conscientiaē pa-
cem, consolationem, aliaque Spiritus S. dona quærimus, utique
non *τὰ ἐπι τῆς γῆς* sed *τὰ αἰω*, cum à Patre Luminum *desuper deo
scendant* Jac. 1. Non quòd ea per firmamentum aut planetarum
Sphæras locali modo ad nos deveniant: sed quòd à solo Spiritu S.
quò non eminentius quicquam est, illa conferantur. B. Agid.
Hunn. Comm. in b. l. p. 126. & 127. X. deniq; Patrum assensus, è quo-
rum numero Augustinus l. 83. quæst. 29. *Ea quæ sursum sunt, sepe ju-
bemur quærere, spiritualia scilicet, quæ non locus & partibus hujus
mundi, sursum esse intelligenda sunt; sed merito excellentia sua. Ideo
que Bernb. Serm. 6. de ascens. ex b. l. docet, duplicem esse ascensionem,
quæ anima eum Christo sursum ascendere debeat; I. ut intellectu quæ-
rat. II. ut voluntate & affectu sapiat cœlestia, quæcunq; nempè
vera sunt, quæcunq; pudica, quæcunq; justa, quæcunq; amabilia, &c.*

§. 12. Hanc itaq; phrasin minùs rectè interpretantur I. PHO-
TINIANI, qui partim civilia, partim naturalia, & quæ in familia
communiter occurrant, à Christiano, ut qui *novus homo* sit, sper-
nenda, cœlestiaq; duntaxat cogitanda esse existimant; ideoque
bella gerere, opes possidere, &c. vetant: quomodo videre est apud
Osterod. instit. Christ. relig. p. 36. & 177. sed præter adducta superius
argumenta, de sensu hujus capituli, obstant exempla ditissimorum
Davidis & Abrahami, illius Regis, hujus patrisfamilias, illius Viri
secundum cor Dei, hujus Credentium omnium Patris: nisi quod usus

opum rerumque civilium ab *abusu*, qui nempe iecum neglectum
 Dei trahit, sit distinguendus. vid. 1. Cor. 7, 31. II. *PONTIFICII*,
 qui eam $\zeta\eta\tau\eta\tau\iota\upsilon$ meritorie exponunt: quomodo Cornel. à Lapid.
querite ea, inquit, *que sursum sunt, i. e. eterna bona, scilicet gloriam*
cœlestem, quasi finem, & mores, & virtutes ac vitam cœlestem, quasi
medium congruum, & à Deo ordinatum ad illum finem assequendum.
Comm. in Epist. Paul. p. 706. præterquam enim quod illa $\zeta\eta\tau\eta\sigma\iota\varsigma$
 hæc in vita, tum propter carnem, tum propter mundum, tum pro-
 pter Diabolum, imperfectissima sit, siquidem regenerationis ac
 renovationis opus in hæc vita tantummodo in nobis inchoetur;
 In altera vero demùm absolvarur & perficiatur. F. C. p. 641. Si eti-
 am fecerimus omnes virtutes, nihilominus servi inutiles sumus. Luc.
 17, 10. *Justificamur autem gratis, per Dei gratiam, per redemptionem,*
que est in Christo Jesu Rom. 3. 24 III. *CALVINIANI* potissimum, qui
 totum Comma, (*superna querite, ubi Christus est, ad dextram Dei*
sedens) localiter explicant, & evincere inde contendunt: *Chri-*
stum, secundum humanam naturam, non esse nobis præsentem; imò ne-
quidem in S. Cœna Corpus ac sanguinem Christi revera adesse, & à
Communicantibus accipi; sed esse in certo cœli spatio, ideòq; spiritua-
liter, h. e. supra nubes evolantibus cogitationibus apprehendi debere,
cum corpore finitum non possit simul esse in cœlo & ἐν ὧ, tanquam in loco
superiori; ac pariter ἐπὶ τῆς γῆς in his terris. Confer. Wendel. ex-
 erc. 67.

§. 13 Monstratum autem à nostris Doctoribus multoties fu-
 it, primo τὸ ἐν ὧ non significare h. l. *localem altitudinem, aut loca-*
lem circumscriptionem; sed juxta literalem sensum, cœlestem, spi-
ritualem, sanctam adque divinam conditionem. secund, τὰ ἐν ὧ,
 non esse *cœlos aut cœlestes res proprie, physicè, & localiter, h. e. in*
cœlorum templis contentas; sed cœlestia improprie, practicè,
moraliter, & spiritualiter. tertio. $\zeta\eta\tau\epsilon\iota\upsilon$ τὰ ἐν ὧ, non esse h. l. *in subli-*
mi posita loco per vestigare; sed ἀλλήλοεικώς, cœlestem & Christianā
vitam, novo homine dignam, agere, sedula devotione regnum Christi,
non supra nubes; sed intra sese querere, in præceptis Christi fideliter
ambulare, vera & viva fide Christo adbarere, ex èpl'o Pauli, qui dicit:
ἡμῶν τὸ πολίτευμα ἐν τοῖς ὑψανοῖς ὑπάρχειν, non Physicè, & locali-

ter; sed practice & spiritualiter per spem & fidē. quart. ideoq; *lij* 8, ubi non esse hic amplius adverbium loci, sed qualitatē: talia curate, qualia Christus, in gloriā patris sedens, a nobis exigit: Non enim vocavit nos Deus immunditiā causa, d. ἐν ἀγιασμῶ 1. *Thess.* 4.7. ut qui ipse impertit nobis τὴν ἀγιότητά αὐτοῦ, *Ebr.* 12. 10. quint. *lij* 9, EST, ut ut aliquando de corpore Christi in se spectato, κατὰ φύσιν, usurpetur, præsentiāque localem notet, quomodo Christus certè non erat extra B. Virginis uterum, cum esset in utero, præsentiā scilicet *Physica*: de eodem tamen κατὰ χάριν, secundum *gratiam assumptionis in infinitam* τὸ λόγος ὑπόστασις, enunciatum, infinitam quoq; ac supernaturalem, & intellectu nostro finito incomprehensibilem, notat præsentiā *Vid. B. Gerb. l. c. p. 116.*

§. 14. Similiter sext. *Dextram* non tribui propriè Deo, d. figuratè, seu ἀνθρωποπαθῶς, ita ut θεοπαθῶς ipsam denotet essentiam divinam, sub conceptu *Majestatis & potentiae* (cujus symbolum in humanis dextra est) repræsentedam. Hinc enim dicitur *dextra virtutis* *Luc.* 22, 69. *omnia mutare valens* *Ps.* 77. 11. *mirabilia faciens* *Exod.* 15. 6. *ubiq; præsens* *Ps.* 139. 9. *victoriam reportans* *Ps.* 118. 16. aliaque plura argumenta collegit *Dn. D. Calov. de Pers. Christ. p. 511.* Quæ quanquam in cœlis patefacta potissimum fuerit, ipsum tamen creatum cœlum, aut cœli spatium locumve non notat, quale quidem Christo *Dionysius Petavius dogm. Theol. Tom. 3. l. 1. c. 2. ac Leonb. Lessius l. 3. de S. B. c. 8* peculiare in cœlo empyræo tentorium; imò *Corn à Lapid. supra ipsum empyreum inane aliquod spatium designans adscribunt*: quales etiam nugæ apud *Tanner. Theol. Schol. Tom. 4. Diss. 3. quest. 3. & Grezer. Tom. 2. Defens. p. 139.* legi possunt. Nec è Calvinianis *Nicol. Vedelius in q. controu. Gisbart. Voët. Sel. Diss. p. 1. Bullinger. in Tract. de Verb. Coenæ. Beza, Piscator, Zanchius, Confessioq; Helvetica* (vid. *Dn. D. Calov. l. c.*) & ex *Armin. Simon Episcopus* instit. *Theol. l. 4. c. 1.* dissentiant. Nam aliquando totum destruetur Cœlum, *Matth.* 24. 35. qualis verò vicissitudo dextræ Dei manifestè repugnat.

§. 15. Deniq; sept. *sedere ad dextram Dei*, in usu sacro, & quando de throno patris (non Christi, *Apoc.* 3. 21.) accipitur, non vulgarem; sed planè peculiarem sessionem inferre, cujus subje-

ctura

Sum quod Christus Θεὸς ὑπερπῶτος; quò, natura Salvatoris humana abstractè; non per abstractionem separationis, sed præcisionis, ut loquuntur, habitò scilicet respectu ad unionem personalem, ut inde prædicatio quidem sit abstractiva, ratione subjecti; sed in abstracto tamen, h. e. per essentialè identitatem non fiat; quin potius per competentiam communicatam: cujus 2. effectus ideoq; non est, humanæ naturæ Eucybianæ in divinam conversio, nec tamen Nestoriana separatio, sed ut ne natura nudè humana, vel nudus homo permaneat; cujus tert. forma non absolvitur solâ regni gubernatione, aut solâ ὑπερπῶτος divina participatione, completè, & adquatè. Sed nec potentia vel inferiori ac finitâ; vel inter finitam & infinitam aliquâ mediâ (quomodo Corn. à Lapid. in Comm. in h. l. p. 708, n. 7. statuit: sedere Patrem in summò, & nobilissimo throno, ob primam & summam ejus majestatem: Filium, quò hominem, proximam post Deum gloriam & excellentiam adeptum, esse à dextris Dei i. e. in potissimis bonis honoris; quomodo mater Salomonis dicitur ad dextram sedisse 3. Reg. 2, 19) absolvitur: verùm, juxta biblicum stylum, formaliter, notat actuale, æquale atque continuum communicatæ majestatis divinæ exercitium. Nam Dei potentia gradus nescit: & hic notanda ipsius Corn. à Lapid. confessio est, qui p. 707. ita loquitur: Tertio E. Christus ut homo, sedit ad dexteram Dei metaphoricè; 1. per communicationem idioma- tū, quâ propter unionē hypostaticam omnia attributa, omnis honor & prædicatio, quæ tribuitur verbo, tribuitur & Christo homini: sedet E. Christus homo à dextris Dei i. e. præest omnib; quasi summus Rex ac ju- dex, qui tantâ dignitate præcellit, ut in eodē soliocum Deo sit, & eadem sum eo adoratione colatur. Ita patres passim! Itaq; ad dextram Dei sedet homo Christus in primò instanti incarnationis suæ: sed post as- censionem peculiariter, quia tunc hæc dignitas & divinitas Christi celebrari & inclarescere cepit. 2. & propriissimè ipsa humanitas Christi sedet à dextris Dei per se; hoc enim hic & alibi dicitur assum- ta & constituta à dextris Dei, quia scilicet humanitas Christi post mortem, victoriam & ascensionem in cælum victrix triumphat, & pa- scitè dominantur in summa patris gloria & c. hæc tenus Cornelius. Ita similiter à patribus, eam phrasin explicari, statuit, Bellarminus

l. 3. de

lib. 3. de Christo cap. 15. & ex Calvin. *Arverius Oper.* Tom. 1.
pag. 298.

§. 16. Et certè *D. Arbanasius* in *Oratione contra Sabellii* gregales hâc memorabili sententiâ, Sacramentariorum de locali dextra Dei phantasma perstringit, ac refellit: *Discant, inquit, sursum illud, & in alto esse, non corporaliter duntaxat audiendum; sed nova ratione intelligendum esse. Quoniam dictum illud, quo fertur sublimis super omnes gentes; & illud idem: exaltabo te, Domine; rursus & illud, laudabilis & super exaltatus in secula; non in loco quopiam sublimi Dominum constituunt, neq; Dominum ab hominibus e-vebi describunt, aut ab aliis, qui eum laudibus extollunt, sursum extolli, sed majestatem invisibilis DEITATIS sublimitatem vocat. Patrem in modum Chrysostomus ad Ebr. 1.3. in dextra Majestatis, in excelsis quid est? num Deum loco includi? absit: sed sicut cum dixit, in dextra, non figuram humanam corporis Deo tribuit; sed similitudinem monstravit honoris quem Filius aequalem habet cum Patre: ita cum dicit, in excelsis; non cum loco includit, sed ostendit, omnibus altio-rem, & omnibus eminentiorem esse. Maximè v. Tom. 3 de pass. hom. de cruce, ait: quando dixerit Deum sedentem in excelsis **UBIQUE** eum credite esse **PRÆSENTEM**.*

§. 17. Eat nunc impudentissimus *Wendelinus*, ac clamet, neminem nisi *Ubiquetarium* (quo nomine Nostrates more suo perstringit) negare, Christum corpore suo in cælo, tanquam in loco à terra longissimè distante esse, exerc. 67. §. 14. Prædicat Salvator de se, non quâ Deo (sic enim opus prædicatione vel promissione non erat) sed quâ homine, fore se **NOBISCUM** (ecquem excipies) omnibus diebus, *Matth. 28. 20.* & quanquam gloriosa sua ad dextram Dei sessione, *visibilem* nobis *præsentiam* subtraxerit; non quidem per ἀφανισμό aut nudam ἀπασίαν sed per veram τοπικὴν μεταστάσιω: non tamen idem subtraxit omnimodam. Sicut ergò per τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, non intelliguntur inferiora localiter: sunt enim peccata varia, stuprum, immundities &c. v. 5. ita quoq; per τὰ ἀνω nec cælum, nec ullus cælorum locus, nec ulla localiter superiora: sed virtutes Christi spirituales ac divini mores intelligi debent, hoc sensu: quemadmodum Christus, ex sepulchro reversus in excelsis-

B

imum

num gloria statum venit; sic vos quoque, qui per baptismum resurrexistis ex gentilismo ad regnum Dei in Christo, aspirate ad eundem gloriae statum, & in verâ plenâque ac viva fide, in caritate Christiana, in vita spirituali ac nova, qua nunc in Deo est abscondita, per renovationem quotidiana curatè ac constanter ambulare, juxta illud Christi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris Job. 8, 12. Quod ex spiritu natum est, spiritus est Job. 3. 6. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi Coronam vitæ Apoc. 2. 10. Conf. Rom. 8. v. 10-18.

§. 18. Vers. 3. Emortui enim estis &c. Radix Apostolicæ argumentationis est, post mortem spirituales facta resurrectio, h. e. uno verbo, *παλιγγενεσία*. Phrasin hanc; *Emortui estis*: accipiunt nonnulli in statu, pro presenti, (1) *h. m.* Similes estis mortuis, quantum ad terrenam felicitatem attinet, subjecti scilicet omnis generis, ærumnis, *Piscat*. Sed hic Apostolus de cruce, ac calamitate prorsus non agit; quin potius ex Christiana Colossensium professione, pietatis studium urget, ut demonstratum in antecedentibus (2.) *h. m.* Christianus debet esse quasi homo mortuus, qui nulli detrahit, nemini violentus existit, &c. h. e. *patiens & humilis*. *Cornel. à Lapid. l. c. p. 709. n. 9* Sed neque istud *literaliter* intendit hoc loco Spiritus S. sed potius in *distractio*ne, spirituales Colossensium mortem intelligit, in *præterito*, quod olim, cum ambularent quondam in gentilismo, mortui fuerint per delicta *Eph. 2. 5.* sed in baptismo deinceps *emortui delictis, ac conuivificati unâ cum Christo, simulque cum eo resuscitati, & simul cum eo sedere facti inter cælestes in Christo Jesu, ib. v. 5, & 6.*

§. 19. Et hæc ipsa illa vivendi ratio est, quâ de Apostolus porro: *& vita vestra abscondita & in invisibili unione cum Christo in Deo fundata est, per fidem puta in Christum, quomodo Thomas de Aquin. l. 2. qu. 12. art. 1. Fides est vita animæ. Sicut sublata vita corporali, omnia membra & partes hominis à debita dispositione recedunt: ita sublata vita justitiæ, quæ est per fidem, apparet inordinatio in omnibus actionibus. Sic Christus: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet: & omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum I. Joh. 11. 25. & 26. Hoc est testimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio ejus est, qui habet filium, habes*

habet vitam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet, 1. Joh. 5. 11. 12. Sed hæc fideiū vita, dignitas, & beatitudo in oculos hominum non magis incurrit, quàm Christus ipse, aut gloria Christi, aded ut omnium videantur miserrimi 1. Cor. 15. ac Orphani velut Job. 14. 18. Et illa vita coram mundo infamia sit & exitus illorum ignominia Sap. 5. 4. Contra Pontificios, qui adversariorum confessionem ac felicitatem temporalem pro Ecclesiæ notâ ponunt. Vid. Meis. de Eccl. p. 874. Christianorum quoq; vita abscondita dicitur, non homileticè, quoad externam conversationem, quasi monasticam & eremiticam vivere vitam Christiani debeant, juxta Pontificiorum vanam fictamque ἡμελοθησκείαν; sed Theologicè, quoad internam ad Christum relationem, quâ ille vitis, hi palmites, Job. 15. 5. quæ gloriosa quidem; sed sub hac imagine terrena 1. Cor. 15. 49. ab infidelium oculis videri non potest. Delitescit, inquit ex Chrysostomo Theophyl. margarita tantisper, dum in conchyli latet, simulac verò illud perfractum fuerit, tùm in gloria relucet. Seminatur enim in ignominia 1. Cor. 15. v. 43. sed metitur in lætitia. Psal. 126. v. 5.

§. 20. Sed ut ut invisibilis Christianorum vita salusq; sit, verissimè tamen existit, & quandocunq; Christus manifestatus fuerit, vitæ nostræ, tunc & vos cum illo manifestabimini in gloria, inquit Apostolus v. 4. Quibus aculeum gravem relinquit in Colossensiu animis, de futuro, si bonū certamen decertaverint, præmio, in novissimo Judicis ac Brabeutæ adventu exhibendo 2. Tim. 4. 7. ut obliviscantur ea, quæ à tergo sunt h. e. quibus per baptismi foedus remiserint nuncium, τοῖς ἐπὶ τῆς γῆς: ad ea verò, quæ à fronte sunt, eritentes, juxta præfixum signum insequantur ad palmam supernæ vocationis Dei per Christum Jesum Phil. 3. v. 13. 14. instare enim Judicium Dei Act. 17. 31. tribunal Christi, Rom. 14. 10. Gaudium Domini, Matth. 25. 21. æternam hereditatem Ebr. 9. 15. Paradisum, Luc. 23. 43. 2. Cor. 12. 4. Hierusalem novum, Ebr. 12. 22. Apoc. 21. 2. verbo: gloriosum Christi adventum. Simili argumento Johannes: Charissimi, nunc filij Dei sumus: & nondum apparuit id, quod futuri sumus: scimus autem, quod si apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est: Et omnis, qui habet hanc spem in eo,

PURIFICAT se, sicut & ille purus est; in eo enim peccatum non est: *Epist. 3. v. 2, 3, 5.* Sic Paulus ad Titum: *Illuxit gratia Dei salutifera omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegata impietate & mundanis concupiscentiis, sobriè & justè & piè vivamus in presenti seculo, expectantes beatam illam spem & illustrationem glorie magni Dei, & servatoris nostri Jesu Christi Tit. 3. 12. 13.* Sic idem ad Rom. 8, v 10 seqq.

§. 21. Dicitur autem Christus aliàs *vita nostra* I. *temporalis* Joh. 5. 17. Actor. 17. 28. II. *spiritualis* per fidem Gal 2. 20. III. *æternalis*, & eam quidem partim promerendo, ut *Sacerdos*. *Ego sum Pastor ille bonus* Joh. 10. v. 10. *per proprium sanguinem ingressus* Ebr. 9. 12. partim annunciendo, ut *Propheta*: qui credit in filium habet vitam æternam Joh. 3. 36. & Joh. 2. 25. partim conferendo, ut *Rex & Judex* Matth. 25. v. 31. & 34. Cornel. à Lapid. dicitur *Christus vita nostra metonymicè*, quia est causa vite nostre, tam gratia, quàm gloria: causa, inquam, tum efficiens, tum exemplaris, tum ob-
jectiva: in b. l. Sed in hoc nostro commate Apostolus præsertim de vitâ loquitur *spirituali*; quâ nunc in præsens vivant Colossenses, invisibili, fide in Christum vivificatorem, juxta illud: *Amen Amen, dico vobis, nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis* Joh. 6. 53.

§. 22. Cæterum quoad hoc comma errant I. *Anabaptistæ, Phoeniciani*, alijq; qui beatè functos à morte statim, quoad animam, æternâ beatitudine frui negant, ex eò, quòd hîc in novissimo Christi adventu demum in gloria manifestandi dicantur. Apostolo enim intelligit *φανερωσιν* gloriosam 1. *orig. compositi*, 2. in resurrectione *omnibus* hominibus *manifestandam*: ideoque notanter vocat *apparitionem*. At illi malè à negatione hujus *apparitionis*, ad negationem *omnimodæ possessionis & fruitionis* argumentantur. Beata compositi pars *anima* est *ἀπὸ πτῆ* b. e. statim post dissolutionem animæ ac corporis, *Apoc. 14. 13.* ideo Salvator ad latronem: *Hodiè mecum eris in Paradiso* Luc. 23. 43. Sunt enim beatorum animæ *in manu Dei* Sap. 3. 1. *reverti debent ad Deum*, *Ecclef. 12. 7.* II. *Calviniani*, qui ubique Christum hac in terra, *quæ hominem*, præsentem esse propterea negant, quod olim demum *appariturus* aut *manifestandus* h. l. dicatur. Enimvero à ne-
gatio-

gatione apparitionis seu presentie visibilis, ad negationem presentie invisibilis N. V. C. Ac neque reditus Christi ad iudicium, descensus erit *localis*; sed ut hic dicitur, *gloriosa maiestatis manifestatio*. Præsens itaq; quæ Deus & homo Ecclesiæ suæ est *Matth. 28. 20.* & quæ *filius hominis*, in medio candelabrorum ambulat *Apoc. 1. 13.* & *c. 2. v. 21.* sed *invisibili* ratione, usque dum in extremo die fiat eius ἀποκάλυψις *1. Cor. 1. 7.* aut ἐπιφάνεια *1. Tim. 6. 14.* aut φανέρωσις *Col. 3. 4.* III. Pontificij, qui à Mose per legis opera vitam expectant, id quod est expressè *tum* contra hunc locum, *tum* contra alia Scripturæ dicta. *Litera occidit, Spiritus vivificat 2. Cor. 3. 6. aculeus mortis, peccatum; Potentia vero peccati, Lex. Deo gratia qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. 1. Cor. 15. 56, 57.*

§. 23. Præmissis itaque generali argumento, nunc dehortatur Apostolus ab iis quæ *novum hominem*, quæ *Christianum*, celestis gloriæ candidatum, ac regni Dei hæredem non decent. Vox μέλη, *membra*, non accipienda hic proprie est pro nostri corporis partibus, sed pro affectibus malis, seu vitiis variis, *tum* ex voluntate concupiscibili v. s. *tum* ex voluntate irascibili v. g. vel *habitualmente*, vel *actualiter* provenientia; id quod probatur *partim* ex membrorum recensione; *stuprum, immundities*, ac descriptione; *ob quæ venire solet ira Dei v. 6.* at quicquid creavit Deus, bonum est *1. Tim. 4. 4.* *partim* ex vitiorum omnium perpetracione. Fiunt enim in corpore *per membra*, & excitantur *in membris*, & perficiuntur *à membris*, quatenus illa *terrestria*, hoc est, corruptæ naturæ, vitiisq; affectibus dedita sunt: *partim* ex statuum oppositione. Ea enim membra intelliguntur, in quibus *Colossenses olim* ambula verint, & quæ nunc deposuerint: sed *membra corporea* retinebant, ac *carnis agere curam* debebant, *dummodo non ad concupiscentias Rom. 13. 14.* *partim* ex allegorica comparacione. Γὰ μέλη vocat τὰ ἔπι τῆς γῆς, quæ *commate secundo* expressè opponit τοῖς ἀνω. Hæc supra *moraliter* esse intelligenda, probavimus. Comparatorum E, est eadem ratio. *Partim* ex novi hominis notatione. Nam sicut *Spiritus*, seu *novus homo*, quia est à Deo, ad Deum tendit, adeoque *cælestia* amat: sic contra *caro*,

seu *vetus homo*, quia est à carnali generatione, ideo *terrestria*, *vana*, & i odosa Deo concupiscit: hinc regenerari debet, ac novus homo fieri, *carne Physica* seu *corpore* non amisso: sed *moraliter* ac *spiritualiter*, Christum induendo & carnem, seu veterem hominem, qui corpus peccati *Rom. 6. 6. & c. 7. v. 24.* dicitur, deponendo. *Partim* ex prima argumentatione, Ut enim superius dictum, sicut Apostolus Christum Colossensibus *in exemplum*, & argumentatur *b. m.* Quemadmodum Christus, cum humeris suis peccatorum onus incumberet, mori peccato voluit, ut reatus eius planè tolleretur; & resurgere postea, ut imposterum esset Dominus peccati, & sic etiam imputatitij peccati, quod ipsum antea Deo Patri exosum reddiderat expers, vivere Deo vitam omnino acceptam posset, *Rom. 6. 10. Ebr. 9. 28. c. 10. 12, 14.* sic & homines Christianismo initiati, mortificare membra, crucifigere corpus, ac mori peccatis debent, *hoc est*, totis viribus à Spiritu S. concessis, in severum Dei tribunal, peccatricem nostram naturam agere, & ibidem expendere, quæ & quanta promerita sit; gladium apprehendere, quo comprimenda sit, per passiones membrorum varias caput imposterum amplius ac vires exertura. Debilitatis enim ad hunc modum pravis carnis motibus renati resurgere, Deo & Christo vivere, superna quærere, *hoc est*, vitam novam Deo Christoque acceptam, ijsq; qui Dei & Christi sunt *Gal. 5. 24.* & quorum vita cum Deo in Christo abscondita sit *Coloss. 3. 3.* dignam transigere poterunt. *B. Chemn. in Epist. ad Gal. Disp. 5. §. 22.* *partim* ex aliorum locorum collatione. Similiter ferè Paulus ad *Gal. 5. 24.* qui sunt Christi (habitacula, filij & imitatores) *carnem* (non corporaliter, sed spiritualiter) *cum affectibus & concupiscentijs suis* (i. e. quoad concupiscentias carnales, tum habituales, tum actuales) *crucifixerunt* (i. e. compresserunt, subegerunt ac aboleverunt) *Partim* denique ex prohibita interneccione. Quinto enim decalogi præcepto, amorique naturali membrorum violentia repugnat. *Eph. 5. 29.* *Partim* ultimò ex Pontificij *Corn. à Lapid.* interpretatione. Sic enim is ad h. l. *Magis genuine S. Gregor. membra terrestria hic vocat affectus pravae & motus concupiscentie; hi enim sunt quasi membra veteris hominis terrestris Ade &*

torius

etotius corporis concupiscentia l. c. p. 710. Errant idcirco, qui peccatum pro substantia venditant partim ex Rom. 6. 6. partim ex h. l. Figuratur enim Apostolus loquitur: ut patet ex dictis. Sic & *Wiegelius* errat negans, hominem suis membris corporis peccare, in post. super Evang. Dom. 6. post Trinit. p. 169, 172, 174. Paulus enim affirmat Rom. 3. v. 13. seqq. & 6. v. 13, 19. & h. l. Ideoq; & quoad corpora nostra regeneramur; quanquam id negent *Calviniani*.

§. 24. Tota proinde phrasis: *νεκρώσατε τὰ μέλη*, figuratè ac Metaphoricè idem est, ac, peccatorum vim atq; impetum, non flagello, sed spiritu infringite ac declinate, tâquam vestræ professionis studio atque officio, (quod est, caelestia quærere, seu Deo placencia operari) è diametro contraria. *B. Hunniusl. c. p. 129.* Aliàs juxta nostrates mortificatio duplex est: interna & externa. Illa spiritualis, quam exprimit Apostolus h. l. (Col. 3. 5.) & ad Rom. 8. 13. quæ per agitur non exercitio corporis: sed spiritu, quando renati per gratiam spiritumque Dei, in ipsis habitantem, pravis animi concupiscentiis resistunt quotidie, ac sic in ordinem cogunt, ut nullum regnum, nullum Dominium acquirant atque obtineant. Hæc corporalis, non tamen tyrannica, sed moralis, videlicet I. crucis & calamitatis, a Deo immisæ, patientia, *1. Cor. 10. 13.* II. laborum in officio expediendorum casta & sobria tolerantia. III. urgente necessitatis casu jejunium ac temperantia: neutra verò vel meritoria vel satisfactoria: sed propter majorem in precibus atque laboribus alacritatem liberè ac sponte suscipienda. Vid. *Hutter. in L. C. p. 908. Chemn. part. 3. L. C. Theol. p. 104.* Eant nunc Pontificij ac nos accusent, quasi doceamus: tum demum rectè nos uti libertate Christiana, si carnem nunquam affligamus, nunquam jejunemus &c. Quomodo *Andreas Fabricius Leodius, Harm. Conf. Aug. p. 435.* calumniatur.

§. 25. Errant etiam Pontificij (Vid. *Bazmann. in Hodeg. & alios*) cum ex præsentis dicto flagellationes suas tanquam satisfactorias pro peccatis, proprijs & alienis, ac meritorias vitæ æternæ, (Nam sic à *Greisl. 1. de Discipl. c. 7.*) describuntur probare satagunt. Talis enim carnificina nunquam in mentem Apostolo venit, nec ab Ecclesia probata fuit, quia I. non habet in verbo Dei mandatum.

tum. II. nec promissum, ideoque ^{nec promissum, ideoque} ~~ex fide non est~~, Rom. 14. 23. nec
III. approbatum exemplum, contra i. Reg. 18, 28. IV. est injuri-
osa in Christi meritum Esa. 50, 6. c. 43, 24. V. contra Apосто-
li monitum Rom. 13, 14. VI. ab ipsis Pontificijs antiquioribus est
reprobata, Vid. Gerbard. Conf. Cathol. l. 4. p. 116 seq. & recentioribus
quibusdam, cum primis Jesuitis paulo durior visa: ideo enim mi-
tiora finxere remedia, Monachatum atque jejunium, sicuti Hagero
in Coll. A. C. & Concil. Trit. art. 20. scribit: quod remedium ad-
versus pestes has (ab Apostolo h. l. Coloss. 3, 5. recensitas) aptius es-
se potest, quam jejunium, quam monachatus? sed neque hæc reme-
dia Apostolus hic memorat, nec alibi sub illa Papistica supersti-
tione commendat; quin potius ciborum delectum humanis deo-
cretis c. 2. 16. conjugijque prohibitionem doctrinis Dæmoniacis
1. Tim. 4. 1. & 3. disertè adscribit. Vid. B. Gerb. in Epist. ad Col. in
b. l. & B. Kunad. in Epist. ad Gal. disp. 13. q. 6. Denique cum h. l.
illi, qui dudum peccatis mortui, per resurrectionem cum Chri-
sto, in Deo vivunt p. 1. 3. 4. h. e. jam tum renati ac justificati, terre-
stria membra mortificare jubeantur; patet, mortificationem
hanc pertinere non ad *ἐπίπνευαν* fidei formalem, quatenus justi-
ficat: sed effectivam, quat. seipsam declarat; adeoque Weigeli-
um errare graviter, dum statuit: justitiam nostram consistere
non in gratuita peccatorum remissione ac justitiæ Christi imputatione;
sed in veteris hominis mortificatione: id quod refellit pluribus B.
Gerb. disp. Academ. p. 863 seq.

§. 26. v. 6. ob quæ venit ira Dei in filios intractabiles. Verbum,
venit, in Præterito acceperunt Hieronymus, Primasius, Haymo, i-
deoq; ad Sodomitarum tempus respexere, ac per filios intractabiles
eos, qui in diluvio perierint, intellexerunt. Sed habetur in tex-
tu præsens, ἐπιχεται, quod judicij divini veritatem, ac celeritatem,
ac perpetuitatem notat; & sic debortandi ratio alia iterum insinu-
tur. Filij intractabiles dicuntur *ὁὶ ἀπίστας* h. e. incredulitati de-
diti; juxta illud commune: Cum vox, Filij, in Sacra. S. jungitur
Genitivo vitij aut virtutis, idem est ac deditus; cum vero Genitivo
penæ vel premij, idem sonat, ac destinatus sive dignus. Chemn. in
harm. Evang. passim.

cum viveretis in illis. Verit. Erasmus: ^{inter quos personarum,}
^{verit. Erasmus: Inter quos (personarum)} sed
filios nempe incredulitatis, cum viveretis in illis peccatis) sed
I. utrobique est eadem particula *cu*. II. in versiculo sexto est idem
pronomen *cu*. III. similiter Paulus *Eph. 2. 1. 2. cum essetis mortui de-*
licetis ac peccatis, in quibus aliquando ambulastis &c. Sic E. *synony-*
ma sunt, vivere, ambulare, versari in peccatis. Estius.

§. 28. v. 8. Deponite iram, indignationem &c. iram non officij, quæ
non tam contra personas, quam contra vitia est; sed affectus priva-
ti, ac temerarij, quæ non in vitia, sed in personas ipsas, vindictæ stu-
dio, fertur. Hunn.

§. 29. v. 9. Ne mentiamini. Nullum prorsus mendacium
licitum esse existimo, quatenus mendacium. sic enim forma-
liter aberrat à mediocritate, virtutibusque directè opponitur. *μη*
ἀληθεύειν veracis viri officium est; at non simpliciter idem, quod
ψεύδειν. Non omne falsiloquium, statim quoque mendacium. Ma-
teriale distingvendum à formali. Per concupiscentiam putat Estius
eā significari, quæ specialiter penultimo decalogi præcepto pro-
hibeatur, rei nempe venereæ, *Comm. in b. l. p. 703.* Rectius verò B.
Hunnius malorum omnium decalogo prohibitorum appetitum
inordinatum intelligit *in b. l. p. 129.* Restrictionis enim nulla ap-
paret ratio. Notandum hoc adversus Patres Tridentine Synodi,
qui concupiscentiam peccatum esse negant, contra Christum, Moysen.
& Paulum *Vid. Chemn. Exam. p. 1. p. 169 seq.* Avaritia non tam pe-
cunie, quam voluntatum turpium intelligenda, dicitur ab Estio &
Cornel. à Lap. sed in genere de membris veteris hominis agit Apосто-
lus, & in antithesi varias virtutes, vitiis variis oppositas, inculcat
v. 12. Hic enim Spiritus S. mos est, ut generalem Doctrinam incul-
caturus, specialia ac particularia urgeat, *Vid. Glass. p. 1. Philp. 257.* Ita
nobiscum Cyprianus, Chrysostronus, Oecumenius, Theophylactus, Theo-
doretus &c. tum recentiores, B. Gerhardus, Hunnius, Balduinus &c.

§. 30. v. 10. Induistis novum hominem. Homo dicitur novus ac
vetus, non Physicè, & quoad substantiam; sed mysticè, & quoad qua-
litates. Vetus homo est, in concreto, corrupta hominis natura; novus
homo eadem, sed ad obsequium Dei renovata. Hunn. in abstracto,
ille, peccatum ipsum originis; hic, spiritus sive cognitio Dei, ju-
stitia

C

stitia

nō simpliciter & radicaliter: sed secundum quid, & gradualiter, quatenus quotidie viribus, à Spiritu S. concessis, magis magisque re-
runditur ac coercetur, ne peccatum regnet Rom 6. sed crucifiga-
tur, Gal. 5. imaginis enim divinæ restitutio in nobis *incubatur* salu-
tem, in futura autem demum vita *perficitur* Act. 3. 21. Job 3. 2. Hic
indui dicitur, quando convertitur homo, regeneratur & à pecca-
tis suis, per fidem in Christū, justificatur, à Spiritu Dei renovatur,
regitur ac ducitur ad obsequendum Deo timore non *servili*, nec
coactivè, sed *filiati*, & *spiritu spontaneo* Hic dicitur *internus*, quā re-
natus; ille *externus*, quā irrogenitus, Rom 7. 22. contra q. oldam
Calvin. qui per illum intelligunt *animam*, per hunc verò *corpus*.

S. 31. *Qui renovatur ad agnitionem & imaginem eius, qui
condidit illum.* Ex hoc & parallelo loco Eph 4. 24. evincere du-
dum Nostrates, quod *imago Dei* non fuerit *ipsa hominis substan-
tia*, vel *natura*, vel *essentialis pars* aut *facultas*, contra Pontificios,
Calvinianos, Armenianos, Socinianos, Flacianos, & in specie, contra
Estium, qui *hominem Dei imaginem dupliciter* putat, per *natum*, re-
spectu *creationis*: & per *gratiam*, respectu *renovationis*. Comm. in b. l.
p. 704. sed *cōcreata substantiæ hominis perfectio*; si quidem exprel-
sè ἐπίγνωσις h. l. ac δικαιοσύνη & ὁσιότης τῆς ἀληθείας Eph. 4. 24.
εἰκὼν τῆς θεῆς appellantur. Illud enim, ad quod homo regenera-
tur, est *imago Dei: cognitio, justitia, sanctitas veritatis*, est illud, ad
quod homo regeneratur E. *cognitio, justitia & sanctitas veritatis*
est *imago Dei*: Major constat ex v. 10. quia novus homo renova-
tur κατ' εἰκόνα τῆς κτίσαντος αὐτὸν & parall. v. 24. κατὰ θεὸν κτι-
θέντα. minor patet partim ex b. l. quia homo renovatur ad ἐπί-
γνωσιν; partim ex parall. quia homo novus renovatur per justiti-
am, & sanctitatem veritatis, h. e. juxta *Ebraismum*, in sancta veri-
tate, & vera sanctitate. Identitas itaque inter Deum & hominem,
ratione *divinæ imaginis*, fundatur non in *essentialibus*, vel *substan-
tialibus*, respectu *animæ*, vel *corporis*: nā sic *humanitas facta* quo-
dammodo *Deitas* fuisset, quod absurdum; nec homo post lapsum
mansisset homo; nec mysticè, sed *physicè* deberet renasci, aut re-
generari; nec irrogenitus talis foret, quia *essentialiter perfectus*
homo; quæ omnia certè absurda: sed in *extra essentialibus* ac *sin-
gulari-*

næ nimirum essentia ac voluntatis aliorumq; mysteriorum, nec non rerum naturaliam perfectam ἐπιγνωσιῶν &c. in perfectione voluntatis διακρίσεων & sancta libertas, juxta divinam normam agendi, Deum ac proximū diligendi &c. in perfectione cordis ὁσιότης, affectū appetitūq; cū recta ratione s. Conformitas. *B. Gerb. disp. 21. Isag. c. 6. p. 794.* quanquam ad hæc attributa (*scientia, iustitia, sanctitas, veritas*) essentialia Dei tributa sint (quamobrem quoq; terminus *relativæ* hujus *imaginis* essentia potius divina, quam Deitatis personæ dicuntur) tamen respectu hominis *extra essentialia* sunt, qualitatēs: ideoq; quando imago Dei integro homini dicitur fuisse *naturalis* & *intrinseca*, non, ut Pontificij volunt, *adventitia*, & homini jam creato demum superaddita: *naturalis* dicitur 1. non *constitutivè*, nec 2. *consecutivè*, d. 3. *subiectivè*, 4. *perfectivè*, 5. *transitivè*, imò quando tamen & *constitutivè*, sermo est de homine *integro*, quatenus *talis*, *respectivè*, quomodo nunc post lapsum de essentia hominis peccaminosi, quâ talis, peccatum est.

§. 33. *Ubi non est Græcus & Judæus.* Metonymia *subjecti* pro *adjuncto*, hoc sensu: in regno gratiæ, ac renovationis negotio, coram Deo, nil præstat ulla statuum vel circumstantiarum diversitas, nulla ibi πρῶτον πολυψία, *Glas. in Rhet. S. p. 23. Conf: Gal. 3. 2 seq.* sive quis sit *Judæus*, h. est, in populo Dei generatus; sive *Græcus*, h. e. sapiens ac eruditus. Summa: Non est personarum respectus apud Deum: Sed in quavis gente, qui timet ipsum & operatur *Justitiam*, is acceptus est illi, *Act. 10. 34. Judæus simul & Græcus*, *R. m. 2. 11. dirutum interstitium maceria* *Eph. 2. 14.* sed hæc libertas atq; æqualitas in *spiritualibus* est, quatenus omnia, & in omnib9, *Christus v. 11.* Nam in civilib9 inæqualitatem, divina etiam constitutiōne introductam, seu *politiam*, Evangelium non tollit, contra *Anabapt. Hutt. LL. Theol. p. 952. Gerh L. de Magistr. Pol. §. 154.*

§. 34. v. 12. His ita præmissis, *admonitorium* annectit *Apostolus*, noviq; hominis imaginem suis efformatam coloribus vivis, suo indutam habitu, suis virtutibus & ornamentis commendatam sistit, ac per *antithesin* veteris hominis larvæ opponit, *Hunn.* de quibus ipsis virtutibus cum homilia agant ubiq; nec graviores controversiæ adsint, ad *Locos practicos* Lectorem benevolum remittimus. vid. interim laudatus *Hunn. & Gerb. & Bald. in Com. h. l. aliq;*

l. aliq; in loca paralella. 1100
Tirinus in Controv. fidei controv. 13. n. 5. probare nititur, Liberum arbitrium, circa opera etiam supernaturalia, per Adami lapsum non esse homini sublatum; sed in statu nature lapsa cum illo quoq; perseverare: idq; ex eo, quod hic exuere veterem hominem renati jubeantur. Sed manifestè loquitur textus de Colossensibus, qui jam tum resurrexerant, cum Christo v. i. vivebant in Deo & adeoq; renati erant, viresq; à Spiritu S. acceperant, ut ejus opera carnem cum concupiscentiis suis mortificarent, vel saltem perpetua spiritus pugna persequendo detestarentur. Hoc irrogeniti, quoad spiritualia, penitus nequeunt, imò de eà re nequidem cogitant, ex sese; nec vires naturales, quoad *καὶ νότῃ τῆ ἀσθενείᾳ*, sufficiunt. 1. Cor. 2. 14. Eph. 4. 18. Eph. 2. 1. 2. Cor. 3. 5. Deut. 26. 4. Matth. 13. 11. Phil. 2. 13.

§. 36. v. 14. Super omnia Charitatem, quæ est Vinculum perfectionis, non respectu salutis promerenda, contra Andræ. vid. Gerh. Comm. in h. l. nec respectu fidei informanda, aut per formam velut analogicam perficienda, contra Pontificios; vid. Brochm. Syst. Theol. 2. p. 65. nec respectu bonitatis, contra Deo, operibus nostris principaliter concilianda, contra Corn. à Lapid. in h. l. Nam & ipsa charitas peccatum est, quando ex fide non est Rom. 14. 23. Ebr. 11. 6. sed partim quoad Ecclesiastici corporis compositionem, Hunn. quomodo B. D. Quistorpius hic inter perfectionem fidelium Communem, quâ in unum corpus coalescunt, & in cujusvis propriam, qua coram judicio Dei consistunt, distinguit: partim quoad fidei declarationem; nam imperfecta censetur fides, quæ facta non habet Jac. 29, v. 22. partim quoad virtutum omnium comprehensionem: Rom. 13, v. 8, 9. 1. Cor. 13. Phar. saica aut Papistica perfectio non habet hic locum. De imputatâ & inchoatâ Renatorum perfectione vid. Chemnit. 1. 332.

§. 37. v. 15. Pax Dei palmam ferat in cordibus Vestris. *Παξ Θεοῦ ἐν τοῖς καρδίαις ὑμῶν*, premi loco existat, vel contingat, vitiis nempe devictis, Erasmi. instar bra-beuræ, seu agonathetæ omnia regat ac moderetur, Beza: omni pugnae ac liti finem imponat, Theophyl. B. Luth. regiæ sensus est: pacem cum Deo retineatis in cordibus Vestris, in omnibus actionibus καὶ δὲ πάντῃ laborate, & contra Satanam, mundum, ac carnem strenuè certate Eph. 6. 12. 2 Tim. 4. 7. 1. Petr. 2. 11.

§. 38. v. 16. Male à Pontificiis scripturarum lectio laicis prohibetur. id enim agendum sedulo est, ut sermo Christi inhabitet in omnibus optepter cum omni sapientia; in intellectu, meditando; in vo luntate, assentiendo; in corde, credendo; in ore, confitendo ac docendo; in membris deniq; omnibus, operando. Ideo etiã Apostolus h. l. scribit ad uxores, liberos parentes, servos &c. Sicut Johannes Epist. 1. c. 2. 1. vid. Gerh. Conf. Cath. l. 2. p. 186. Brochm. Syst. Theol. p. 1. p. 25. Hunn. in h. l. p. 154.

§. 39. v. 17. Omnia in nomine Domini. ratione finis, ad gloriam Dei 1. Cor. 10. 31. ratione principij, cum invocatione nominis divini: ratione objecti ac mediij; quicquid utile Deoq; bene placitum aut à Deo ordinatum. vid. Dn. D. Calov. Theolog. N. & R. f. 744. Non propter Simonem, non propter Moysen, non propter Angelos (multo minus propter alios sanctos, aut in nomine sanctorum) sed propter Christum, ejusq; gloriã facite omnia, aut in nomine sanctorum, sed in h. l. sic omnia succedent prospere & felici-

o
-
x
-
o
-
l
-
x
2.

n
-
-
-
d.
3.
n.
-
i-
n-
r-
uc
e-

v,
a-
ac
m
-
12.

1r.
-
n-
ris
06
e2.

ei
ne
a-
on
s,
a,
ci-

05 A 425

ULB Halle 3
004 209 397


V317







38

DISPUTATIO THEOLOGICA,
in Cap. III. v. 1-17. Epist. Pauli ad Coloss.
Quam,
Concedente venerando Collegio Theologico,
VVittenbergæ
proponunt
P R Æ S E S
M. JACOBUS Wächter/
&
RESPONDENS
MATTHÆUS Metzger/
Alumni Electorales.

WITTEBERGÆ,
Excudebat Johann. Hake.
M. DC. LX.V.